

## TERTIA PARS CAPITIS

## Sepultura Saræ.

- 19 Et post ea sepeliuit Saram vxorem suam in spelunca agri, Hammachpelah è regione Mam-  
re: ipsa est Hebron in terra Canaan.  
20 Ager itaq; & spelunca in eo cecit Abrahamo in hereditariam sepulturam à filiis Heth.

## EXPLANATIO.

19. **E**T POSTEA SEPELIVIT. Tertia pars capituli. Sepultura Saræ, quam Moses consummato em-  
tionis contractu paucis subiicit, repeti-  
ta loci & iuris legitime acquisiti nota-  
tione, vt de legitima possessione poste-  
ris Abrahami nulla vnquam possit mo-  
ueri controuersia. Quo ritu sepultura  
peracta sit tacet. Habebant patres suas  
ceremonias & planctus funebres, vt ex  
sepultura Iacobi & Mosis constat Ge-  
nes. 50. ver. 10. Deut. 34. ver. 8. sed abs-  
que luxu & pompa. Eodem sepulcro  
postea conditus est Abraham cap. 25.  
ver. 10. Et Isaac, cap. 35. 29. & 49. ver. 30.  
& Iacob, cap. 50. 13. & reliqui patres A-  
ctor. 7. ver. 16. Vbi nomen Abrahami  
pro Iacobi in textum irrepit, excepto  
Ioseph, qui humatus dicitur in Sichem  
Ios. 24. 32. Iosephus tamen scribit om-

nia monumenta in Hebron exædifi-  
cata fuisse. In agris enim & hortis po-  
tius quam in Basilicis laqueatis, aut  
Mausoleis marmoratis sepeliri volue-  
runt patres, non sine causa. Virent &  
florent hodie agri & horti: cras arefcunt  
& squalent emortui. Hac imagine mo-  
nebantur de fluxitate rerum & vitæ hu-  
manæ. Simulq; consolationem in mor-  
te capiebant futuræ aliquando resurre-  
ctionis & beatæ immortalitatis, quan-  
do ver æternum redierit. Mausoleis &  
monumentis superbis nil est opus. Stul-  
ticia & vanitas hæc est mundanorum  
hominum, qui cum virtute gloriam  
nullam sibi parauerint in vita, magnifi-  
cis sepulcris celebrari quærunt post mor-  
tem. Vera gloria & nominis fama  
post mortem pietate, virtute  
& iustitia paratur.

## CAPITIS XXIV.

## Argumentum, Vfus, Partitio.

**T**RISTIORI historia de luctu Abrahami ex obitu Saræ, subiicitur latior, priorem triennio infecuta,  
de nuptiis vnici & dilectissimi filii Isaaci cum Rebecca. Est prolixa satis narratio de legatione  
serui in Mesopotamiam ad quærendam filio vxorem, & de admirabili legationis successu. Mini-  
me vero superuacua putanda. Plena est enim pulcherrimarum virtutum, quas intueamur: pia  
prudentiæ in Abrahamo patre sollicito de parandis filio sanctis nuptiis: modestiæ ac pietatis  
in Isaaco filio, obtemperante patris consilio, & precibus assiduis à Deo sponsam piam obtinente: fi-  
delitatis in seruo, fideliter fungente legatione sibi demandata: sedulitatis ac modestiæ in Re-  
becca virgine & sponsa laudatissima: hospitalitatis in cognatis Rebecca humaniter excipientibus  
peregrinum legatum, & gratificantibus honesta petitioni, &c. Continet & varias easq; utilissi-  
mas doctrinas, de officio parentum, quod liberis honesta & pia matrimonia querere debeant & de  
officio liberorum, quod parentum consiliis libenter obsequi, nec se patria potestati inconsulto subdu-  
cere debeant, de coniugio cum infidelibus non contrahendo: de legitimo iureiurando. de prouidentia  
Dei dirigente & prosperante piorum honesta consilia & coniugia, de humanitate erga hospites &  
peregrinos

PR  
Legat

1. Abraham vero er  
2. Dicitur quod Abr  
nunc manum r  
3. Vt aduocem te per  
4. Sed ad terram me  
5. Dicit vero ad cum  
reducendo red  
6. Respondit ei Abrab  
7. Rebecca Deum calli  
nunc est mihi: &  
plum suam co